



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De modestia in communi. Quæstio 160.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

sed dicitur saeuus circa ¶ veritatem, propter aliquam ¶ al. seuze  
similitudinem sauitiæ, quæ non est diminutua pe- ritatem  
narum.

Ad tertium dicendum, quod remissio in punien-  
do non est vitium, nisi in quantum prætermitti-  
tur ordo iustitiæ, quo aliquis deberet puniri pro-  
pter culpam quam excedit crudelitas. Sauitia au-  
tem penitus hunc ordinem non attendit. Vnde re-  
missio punitionis directè opponitur crudelitati, non  
autem sauitiæ.

QVÆST. CLX.

De Modestia, in duos articulos diuisa.

Deinde considerandum est de modestia. Et primo  
de ipsa in communi. Secundo, de singulis quæ  
sub ea continentur.

¶ Circa primum quærentur duo.

¶ Primo, verum modestia sit pars temperantiæ?  
¶ Secundo, quæ sit materia modestiæ.

ARTIC. I.

Verum Modestia sit pars temperantiæ?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod mo-  
destia non sit pars temperantiæ. Modestia,  
enim à modo dicitur. Sed in omnibus virtutibus re-  
quiritur modus. Nam virtus ordinatur ad bon-  
num. Bonum autem, vt August. dicit\* in lib. de  
Natura boni, consistit in modo, specie & ordine.  
Ergo modestia est generalis virtus. Non ergo debet  
poni pars temperantiæ.

¶ 2 Præterea, Laus temperantiæ videtur confi-  
stere præcipue in quadam moderatione. Ex hac au-  
tem sumitur nomen modestiæ. Ergo modestia est  
idem quod temperantiæ, & non pars eius.

¶ 3 Præterea, Modestia videtur consistere circa  
proximorum correctionem, secundum illud 2 ad Ti-  
moth. 2. Seruum Dei non oportet ligare, sed man-  
uerum esse ad omnes: cū modestia corripientem eos  
qui resistunt veritati, Sed correctio delinquentium,  
qui resistunt veritati, Sed correctio delinquentium.

Z 3 est

776

Supra 9.  
142. Et 2  
d. 94. q. 2  
a 1. ad 3.  
Et 3. dif.  
33. q. 7.  
a. 2. q. 2.  
10. Et ad  
7. Et ad  
Ti. 3. 10. 2  
6. 3. 10. 6.



9.33. a. 1 est actus iustitiæ vel charitatis, ut supra habitum est \*, Ergo videtur quod modestia magis sit pars iustitiæ, quam temperantiæ.

\*lib. 2 de Inven. in fol. 3. ante fin. 9.141. a. 4 et 157 ar. 3. SED contra est, quod Tullius \* ponit modestiam partem temperantiæ.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est \*, temperantiæ moderationem adhibet circa ea, in quibus difficillimum est moderari, scilicet circa concupiscentias delectationum tactus. Abi- cumque autem est aliqua virtus specialiter circa aliquid quod maximum, oportet esse aliam virtutem circa ea quæ mediocriter se habent: eo quod oportet, quantum ad omnia, vitam hominis secundum virtutes esse regulatam: sicut supra dictum est \*, quod magnificentiæ est circa magnos sumptus pecuniarum, præterquam est necessaria liberalitas, quæ fit circa mediocres sumptus. Unde necessarium est quod sit quædam virtus moderatiua in alijs mediocribus, in quibus non est ita difficile moderari. Et hæc virtus vocatur modestia, & adiungitur temperantiæ tamquam principali.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen commune quandoque appropriatur his quæ sunt infima: sicut nomen commune angelorum appropriatur infimo ordini angelorum. Ita etiam & modus qui communiter observatur in qualibet virtute, appropriatur specialiter virtuti, quæ in minimis modum ponit.

Ad secundum dicendum, quod aliqua indigent temperatione, propter suam vehementiam: hoc forte vinum temperatur. Sed moderatio requiritur in omnibus. Et ideo temperantiæ magis debet ad passiones vehementes, modestiæ vero mediocres.

Ad tertium dicendum, quod modestia accipitur ibi modo communiter sumpto, prout requiritur in omnibus virtutibus.

A R.



*Virum modestia sit solum circa exteriores actiones?*

777  
Inf 9. 168  
a. 1. Et 3.  
d 33. 9. 3  
a. 2. q. 1.  
ad 3.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod modestia sit solum circa exteriores actiones. Interiores enim motus passionum alijs noti esse non possunt. Sed Apostolus ad Philip. 4. mandat, ut modestia nostra nota sit omnibus hominibus. Ergo modestia est solum circa exteriores actiones.

**¶ 2** Præterea, Virtutes quæ sunt circa passiones, distinguuntur à virtute iustitiæ, quæ est circa operationes. Sed modestia videtur esse vna virtus. Si ergo est circa operationes exteriores, non erit circa aliquas interiores passiones.

**¶ 3** Præterea, Nulla virtus vna & eadem est circa ea quæ pertinent ad appetitum, quod est proprium virtutum moralium; & circa ea quæ pertinent ad cognitionem, quæ est propriè virtutum intellectualium; neque etiam circa ea quæ pertinent ad irascibilem & concupiscibilem. Si ergo modestia est vna virtus, non potest esse circa omnia prædicta.

**SED** contra, In omnibus prædictis oportet observare modum, à quo modestia dicitur. Ergo circa omnia prædicta est modestia.

**RESPONDEO** dicendum, quod sicut dictum est, modestia differt à temperantia, in hoc, quod temperantia est moderatiua eorum quæ difficillimum est refrænare. Modestia autem est moderatiua eorum quæ in hoc mediocriter se habent. Diversimodè autem aliqui de modestia videntur esse locuti. Vbi cumque enim considerauerunt aliquam specialem rationem boni vel difficultatis in moderando, illud subtraxerunt modestiæ, relinquentes modestiæ circa minoribus. Manifestum est autem omnibus, quod refrænationis delectationum tacet specialem quandam difficultatem habet. Vnde omnes temperantiam à modestiâ distinxerunt. Sed præter hoc Tullius\* consideravit quoddam speciale bonum esse in moderatione.

ar. prac.  
lib. 2. de Inuen. in fol. 3. ante fin. lib.  
Z 4 pcc.



penarum. Et ideo etiam clementiam subtraxit modestiam, ponens modestiam circa omnia que relinquuntur moderanda: quæ quidem videntur esse quatuor: quorum vnum est motus animi ad aliquam excellentiam, quam moderatur humilitas: secundum autem est desiderium eorum quæ pertinent ad cognitionem, & in hoc moderatur studiositas, quæ opponitur curiositati: tertium autem, quod pertinet ad corporales motus & actiones, ut scilicet decenter & honeste hinc, tam in his quæ serio, quam in his quæ ludo aguntur. Quartum autem est, quod pertinet ad exteriorum apparatus, puta in vestibus, & in alijs huiusmodi. Sed circa quædam eorum alij posuerunt quædam speciales virtutes, sicut Andronicus mansuetudinem, simplicitatem, humilitatem, & alia huiusmodi, de quibus supra dictum est \*.

\* q. 143.  
† Arist.  
4. ethi. c.  
8. to. 5.

Aristot. † etiam circa dilectationem ludorum posuit eutrapeliam: quæ omnia continentur sub modestia, secundum quod à Tullio accipitur. Et hoc modo modestia se habet non solum circa exteriores actiones, sed etiam circa interiores.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus loquitur de modestia prout est circa exteriora. Et tamen etiam interiorum moderatio manifestari potest per quædam exteriora signa.

Ad secundum dicendum, quod sub modestia continentur diuersæ virtutes, quæ à diuersis assignantur. Vnde nihil prohibet modestiam esse circa ea que requirunt diuersas virtutes. Et tamen non est tanta diuersitas inter partes modestiæ ad inuicem, quantum est iustitiæ, quæ est circa operationes, ad temperantiam, quæ est circa passionibus: quia in actionibus diuersitas ex parte materiæ, sed solum ex parte moderationis, non attenditur virtus nisi vna, scilicet secundum rationem moderationis.

Et per hoc patet etiam responsio Ad tertium.

QVÆ